



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 58. Præcipui Seditionis authores Cæsar is mandato proscripti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](#)

reliqui cives fidei sacramentum dixere, Sæc. XVII.  
initio quidem reclamantibus Legatis, A. C. 1614.  
qui tamen pro declinando vitæ pericu-  
lo ad ejusmodi machinationes conni-  
vere compellebantur.

§. LVIII.

*Præcipui seditionis authores Cæsar is  
mandato proscripti.*

Nihilominus hæ turbæ nec Legato- *Merc. Gall.*  
rum indulgentia, nec poenarum *tom. II. l. I.*  
comminatione adhuc extinqui poterant,  
seditiosis quibusdam civibus nova iden-  
tidem molientibus: hos inter præcipui  
erant Vincentius Fettmilchus Dulcia-  
rius Pistor, Conradus Schoppius Sar-  
tor, & Conradus Gerngrossus arcula-  
rius. Hi erant velut Triumviri ad res  
in deteriorem statum præcipitandas a  
seipsis delecti. Sed inter hos Vincen-  
tius velut Dictator dominabatur; ad  
eum enim sese adjunxerant, inquietis-  
simi quique cives, & advenarum quo-  
que non pauci: Hic ea, quæ hucusque  
egisset, Authore ipsa civitate, se fecisse  
jactitabat, ejusque rei, cum eam, quæ  
tum præsens adstabat, civium multi-  
tudinem in testimonium vocaret, om-  
nes insanis vocibus acclamabant, se te-  
stes fieri: quoniam vero tot civium fla-  
gitia, ac ipsorummet Legatorum vili-  
pensio

Sæc. XVII. pensio in Sacrae Cæsareæ Majestatis con-  
A. C. 1614. temptum manifeste redundaret, non  
potuit non indignanter ea ferre Imperator, præsertim cum Vincentius præci-  
puus ille turbarum Author novam insolentiam prioribus petulantiis adderet;  
cum enim substituti nuper Senatores in  
Curiam ut vocant, *Romanensem* convo-  
cati de exequenda Cæsaris voluntate  
deliberarent, ipse cum suis ferox irrum-  
pens, senatum perturbatæ reipublicæ  
insimulabat, nec his contentus, insuper  
convocatis in unum plerisque suæ impie-  
tatis asseclis, cum iis factionis foedus in-  
terposito etiam juramento instaurabat.  
Utrumque recens hoc facinus valuit ad  
indurandam rebellium obstinationem, at-  
que augendum Cæsaris contemptum:  
quocirca Imperator proscriptionis sen-  
tentia hosce seditiosos compescere sta-  
tuit. Urbem igitur ingreditur Cæsareus  
facialis, & alta præconum voce diras  
in Fettmilchum ejusque socios recitat,  
ac finita promulgatione valvis curiæ pro-  
scriptionis decretum affigere parat, præ-  
fatus, *Ita mandare Cæsaream Majestatem:*  
obnittitur Fettmilchus ingenti tumultu-  
antium multitudine circumfusus, ac  
ceteris petulantior, ita fieri se nolle ex-  
clamat, & Caroli IV. privilegio Fran-  
cofordienses proscribi haud posse voci-  
feratur. Tunc primum, quasi signo  
dato,

dato, rebellium exarsere studia, ac fe- Sæc. XVII.  
cialis metu mortis abterritus, infecta A. C. 1614.  
re, cum suo edicto in diversorum auf-  
fugere cogitur. Tanta petulantia irri-  
tati Principum Legati, Cæsaris nōmi-  
ne, tradi sibi seditionis triumviros in  
catenis jusserunt, perperam vero ab eis  
Carolinam immunitatem fuisse allega-  
tam declararunt. Verum hi ab eo die  
pernicioſius quam unquam, obvios  
quosque ad vindicandam proscriptionis  
contumeliam concitabant. Displicuit  
tamen nimia hæc audacia nonnullis ci-  
vium societatibus antea huic rebelli ad-  
dictis, quocirca se deinceps in potestate  
Legum & Imperatoris fore profiteban-  
tur, inque obsequii sui fidem in Album  
nomina sua referebant, ita suadentibus  
Principum Legatis: id vero ubi com-  
pererat Fettmilchus, cum suis in Cu-  
riam provolat, & horum nominum Syl-  
labum sibi tradi jubet, eo fine, ut hosce  
tanquam suæ coniurationis proditores  
jugulare posset. Cum autem hæc &  
similia civibus adhuc integris ac mode-  
ratoribus haud diutius toleranda vide-  
rentur, deliberatum de Viro, qui con-  
iurationis triumviros comprehendere  
auderet. Opportune se iniquitatis vin-  
dicem obtulit Joannes Martinus Bauer  
seu Agricola antiquioris Ordinis Sena-  
tor, qui quantocyus valida militum ma-

nu

Sæc. XVII. nu stipatus , die vigesima septima No.  
 A. C. 1614. vembris Fettmilchum genialiter in ta-  
 berna vinaria potantem aggressus est,  
 extorto que sclopo, quo nefarius Sena-  
 torem petere parabat , captum ad tur-  
 rim Bornheimianam deduxit: Ibi pesti-  
 lens hic homo nihilo sedatior , sed effe-  
 rati or factus, clamoribus plusquam insa-  
 nis suos , ut ad eripiendum se concur-  
 rerent, exorabat : Fit igitur ab his nul-  
 la mora in Turrim impetus , qui etiam  
 effractis vi portis Fettmilchum eripiunt,  
 & velut in triumphum ovantes per  
 plateam publicam deducunt, eumque  
 domui suæ restituunt , ad quam mox  
 petulantissimi quique magno numero  
 confluxere, adversus Magistratum arma  
 paraturi. Haud segnior erat Agricola,  
 qui cives sibi fidos in ordines & arma  
 cogens , recta ad rebellis ædes conten-  
 dit , ac seditiosos ad deditio nem provo-  
 cat. Profuit intrepidus hujus Viri au-  
 fus ; rebelles enim suorum numero dif-  
 fisi , petita impetrataque alterni sermo-  
 nis copia , profitebantur, se in potesta-  
 te Cæsar is & Optimatum fore : Tum  
 vero partim fuso, fugato que cetero per-  
 duellum grege, Fettmilchus & Schop-  
 pius stipantibus armatis in carceres die  
 vigesima octava Novembri reducuntur,  
 quos quarto post die Agricola Mogunti-  
 nis in manus & catenas tradidit.

§. LIX.